



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

4. De commutatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

Vota jurata, difficiolior est resolutio: nam propterea aliqui probabiliter negant, cum Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 1. num. 23. apud Pell. l. c. num. 135. Dico tamen cum Suar. lib. 6. de voto, cap. 14. num. 6. citante Arag. Vivaldum, Rodr. & alios, probabile esse posse; & quidem, ut semper loquuntur, in foro interno. Ratio est *supra* tacta, quia, cum hæc juramenta, quamvis homini præstata, vinculum iustitiæ, ut supponimus, non involvant, habent solum vinculum ex vi Religionis, quod æquiparatur vinculo voti, immò, quod in rigore minus est, quam voti vinculum; atque adeo qui hoc voti vinculum dissolvere potest, non est negandum posse & illud. Nec obstat, quod, si ita esset, frustra Gregorius XII. potestatem commutandi vota extendisset ad vota jurata; non obstat, inquam, quia id factum est ad maiorem conscientie securitatem, ad scrupulos eximendos, & propterea, qui contrariam sententiam sequuntur, ut alibi in simili docuimus.

13. An civilis potestas aliquo tandem modo possit relaxare juramenta, vide apud Layman, lib. 4. tract. 3. c. 9. num. 9. & Doctores *supra* cit. cap. 3. §. 5. numer. 5. lit. D. aliosque ab ipso laudatos. Illud solum noto, si quando quis jurat aliquid in præjudicium Superioris, etiam secularis, posse hunc Superiorem remittere ejusmodi juramentum, seu potius illud non acceptare. Jurat quis, v. g. se non acceptaturum Officium Capitanei: potest Superior illum cogere, & post coactionem; poterit is non obstante juramento, acceptare: quia juramentum illud non potuit præjudicare potestati Superioris. Puto tamen non posse post illud Officium acceptatum, aliud sine nova coactione acceptare: quia illa non fuit juramenti relaxatio, quam non potest secularis expedire, sed fuit solum, pro illa vice, suæ potestatis usurpatio: an nihilominus acceptare sit culpa solum levis, dixi *supra*, cap. 3. §. 3. num. 10. cum Fagundez.

Ob quas causas.

4. Certum est adesse debere causam dispensandi, secus irrita erit, & nulla relaxatio, etiam si Summo Pontifici feratur: ita S. Thom. 2. 2. quest. 88. art. 8. Abbas cap. quanto, de jurejur. n. 8. aliique (excipe, nisi sit in materia ipsi relaxanti omnino subiecta, ut diximus §. 1. n. 1.) Ratio est, quia Summus Pontifex in legibus ab ipso latis valide quidem sine causa ideo dispensat (quidquid sit, an aliquando illicitè) quia ex ab ipso libere dependet: at vinculum voti, & juramenti ab ipso non dependet, cum de jure naturæ sit, vota & juramenta Deo esse reddenda: ergo non poterit valide sine causa dispensare, siquidem ipse dum dispensat, id facit nomine, & ex parte Dei: Deus autem relaxationem temerariam, & sine causa ratam habere nequaquam potest.

15. Difficultas igitur sola superest in explicandis his causis, quæ sint sufficientes ad hæc, ut Superior relaxet juramenta homini præstata in iis casibus, quos posse, *supra* diximus; nam de causis pro juramenti soli Deo præstitis, seu quando solum urget vinculum Religionis, innuam *infra*, §. 4. num. 12. & colligitur ex dicendis *supra*, cap. 16. §. 4. num. 10.

16. Ad lex reduci solent. Primò, quando adest turpitudine ex parte extorquentis juramentum, ut accidit, quando juramentum, metu, vi, dolo extortum fuit ipsa enim injuria sufficientissimam causam præbet relaxandi. Et quidem, si metus sit gravis, poterit ab Episcopo etiam in foro externo relaxari si levis, solum in foro conscientie: lege Sanchez ibique cit. lib. 3. in Dec. cap. 21. à num. 6. Secundò, quando adest dubium, an juramentum valeat. Vide Covarr. Regul. peccatum 2. p. §. 3. n. 7. initio; Vinc. Tancred. lib. 4. de matrim. disp. 20. num. 7. Tertio, quando adest dubium, an cedat in injustam læsionem tertij. Quarto, quando est dubium, an ex observatione juramenti renascatur occasio, seu periculum peccandi. Quintò, quando juramentum est temerè, inconsideratè, vel ex ira dolorisve perturbatione factum; & in his quidem solviuntur

ad effectum agendi à Superiore vinculum Religionis: at remanet videndum apud Judices, an ius Iustitiæ favet alterutri ex partibus. Rectè autem id potest à Superiore fieri, quia pertinet ad Ecclesiam providere, ne jurans vexetur injustè. Castro Pal. tom. 3. disp. 3. de jur. p. 3. n. 4.

Dicendum est (quando est dubium) quia non raro in prædictis, quando res est, certa, nullum est, nec indigens relaxatione juramentum æquale est, si turpitudine sit ex parte materie jurata, si juramentum cedat in injustum tertij detrimentum, &c. ut ex *supra*dictis constat.

17. Sed quid agendum, quando causa dispensandi adest quidem; sed omnibus expensis, non est omnino sufficiens? Respondeo cum Sanchez lib. 3. in Dec. c. 19. n. 4. tunc intermiscendam esse commutationem, de qua *mox*, & *infra*, cum de voto; hoc est, non esse absolute juramentum remittendum, sed loco rei per juramentum promissæ esse aliquid boni operis injungendum juranti, magis, & minus juxta insufficientiam causæ, non mathematicè, sed morali modo prudenter expendendam, v. g. si certa, & gravis causa dispensandi juramentum de semel junundo: absolute Superior relaxet: si autem causa est mediocrius, ita relaxet, ut obliget jurantem ad aliquam, v. g. orationem recitandam; puta Coronam Beatæ Virginis, vel Officium Defunctorum, vel unum Miserere, &c. juxta proportionem insufficientiæ causæ, &c.

§. IV. De Commutatione.

1. Quando loco rei juramento promissæ substituitur, & habente potestatem aliud opus honestum, dicitur juramentum commutari. Potest autem substitui vel opus bonum majus, vel æquale, vel minus: & circa hæc querimus, quis commutare possit, quæ juramenta, ob quas causas.

Quis.

2. Non solum Pontifex, & Episcopus, cæterique, juxta dicenda cap. 16. §. 4. num. 4. jurisdictione Episcopali fructentes, sed etiam Confessarii, quibus id concessum est per privilegia, ut per occasionem diximus §. præcedentis num. 10. sub hoc nomen discrimine, quod Pontifex potest ea omnia, quæ *supra* §. 3. num. 5. diximus, ipsum relaxare posse: at Episcopus restrictior est hæc potestas, juxta *ibidem* dicta, Rursus Pontifex, & Episcopus, quia hanc potestatem ordinariam habent, possunt illam aliis delegare: quam non possunt Confessarii, quia ipsi solum sunt Delegati, Denique iidem Confessarii solum quoad forum internum: Pontifex verò, & Episcopus, etiam quoad externum.

3. Omnes autem, qui possunt dispensare, possunt & commutare: non contrà, quia dispensare est majus, quam commutare: cui autem conceditur majus conceditur & minus in eo majori contentum, cum tamen cui minus conceditur, non concedatur majus.

4. Dubitatur hic primò, An Confessarii electi per Bullam Cruciatæ possint juramenta commutare? Ratio dubitandi est, quia Bulla solum concedit commutationem votorum, de juramentis autem ne verbum quidem. Respondeo tamen posse juramenta soli Deo præstata, seu quæ solum afferunt vinculum Religionis: sic Francisc. Bardi de Bulla Cruciatæ, p. 2. art. 7. cap. 1. sect. 10. aliique *ibid.* cit. Ratio est, quia hæc æquiparantur votis, ut *supra* §. 3. num. 8. diximus, & probat fusè Suarez lib. 6. de voto cap. 14. n. 11.

5. Dubitatur secundò, An ipse jurans, aliquando possit sibi etiam sine causa commutare dictum juramentum soli Deo præstitum. Respondeo, posse in opus melius: sic Tol. Val. Bon. Sanchez. aliique apud Castro Pal. tom. 3. tract. 14. disp. 3. p. 1. n. 6. Ratio est, quia non dicitur promissum infringere, qui in melius illud commutat: ita Abbas communiter receptus apud Sylv. v. Juramentum §. quest. 6. Azor. tom. 1. lib. 10. cap. 10. q. 1. Immo probabile etiam est, in opus æquale: ita Bonac. tom. 2. disp. 4. q. 1.

Cap. VII. De Deobligatione à Iuramento. 133

11. 17. n. 1. citans Val. Reginald. Sā, aliōsque, & nos
p̄ia, cūm de commutatione voti: quia tunc redditur
Deo, quod æquē illi gratum est, ipsūque opus æqualis,
vel melioris bonitatis fatis causa sufficiens est commu-
tandi in minus nullo modo potest, quia ad hoc requiri-
tur potestas jurisdictionis, ut mox n. 1. dicam, & infra
de commutatione voti.

Dicit (iuramentum soli Deo præstitum) nam non ita
iuramentis homini principaliter factis, quia non æquē
iuramenti homini bonum æquale, vel melius: nam pro-
prium est eadem specifi- ca forma, quā res promittitur, est
iuramentum implendum à jurante. Sed de hac re iterum
dicetur, cūm de voto recurret sermo cap. 16. §. 5. à num. 5.
cap. 17. ubi consilium quoddam affectum de iuramento
homini minus principaliter facto, sive acceptato, sive
non acceptato.

Quæ Iuramenta.

6. Omnia ea, quæ possunt à Superiore habente pote-
statem relaxari, multo magis possunt ab eodem commu-
tari: vide quæ dixi §. præcedenti, n. 2. solum igitur hīc
querendum est, an iuramenta penalia, & conditiona-
lia possint commutari ab Episcopo, vel privilegiatis,
citanti sunt de materia Summo Pontifici reservata: sed
quia nos sup. §. 3. n. 7. probabile putavimus, illa quæque
iuramenta per se stantia non esse reservata, ideo multo
magis reservata non erunt, quando sunt conditionalia,
vel penalia: quare poterunt à prædictis commutari.

Ob quas causas.

7. Ut superior possit iuramenta homini præstita com-
mutare, sufficiunt eadem causæ, quæ sufficiunt ad dispen-
sationem, §. præcedente: & illæ, illisque sub conditionibus
requiruntur hīc, quæ ibi. Ubi autem commutentur hæc
iuramenta soli Deo facta, quæ votis, ut sæpe dictum est,
æquivalent, cuius ponderis causæ requirantur, hīc superest
breve explicandum.

8. Præmitto autem primò, licet posse ab habente po-
tatem commutari iuramentum, non solum in bonum
magis, vel æquale sed etiam (licet existente causa, ut mox
n. 1. dicam) in minus, atque hoc regulariter esse licitum,
quoties habet quis potestatem commutandi vota, vel
iuramenta: ita Arag. 2. 2. q. 88. art. 12. citans Cordub. in
Summa de casib. q. 159. & 190. Tol. Sā, Less. Sayrus, alique
apud Sanch. mox citand. n. 1. Ratio est, quia alioquin illa
potestas frustratoria esset, nam, ut commutetur vo-
tum, vel iuramentum in bonum majus, sufficit probabili-
ter propria auctoritas, ut modò diximus n. 7. quare, si fa-
cultas commutandi aliquid tribui solent in minus. Adde
aliqua iura apud eundem Arag. adde & ipsam praxim.

9. Scio Sanchez lib. 4. in Dec. c. 50. n. 4. & alios om-
nino velle, ut commutatio etiam ab habente potestatem
semper debeat expediri, vel in æquale, vel in quasi æqua-
le: quia commutatio ex D. Thoma in 4. dist. 38. q. 1. art. 4.
quæst. ult. in corpore, est veluti contractus inter commu-
tationem nomine Dei, & votentem: at contractus permuta-
tionis debet æqualitatem habere. Sed fortasse Sanch.
intelligit non posse ita in minus, ut moraliter æqualeat
dispensationi: non enim esset licita commutatio, si jeju-
nium, v. g. commutaretur in unum Ave: fateor enim de-
bere adesse aliquam proportionem inter rem juratam, &
materiam suppositam, ne scilicet commutatio in dispen-
sationem, quæ majorem requirit potestatem, transeat: id
quod videtur Sanchez notasse per illud (quasi) Ad ratio-
nem ex Divo Thoma patet responsio, quia in mero con-
tractu permutationis non intercedit potestas jurisdictio-
nis, ut intercedit in casu nostro, nam propterea aliquid
plene est casui nostro concedendum.

10. Præmitto secundò, ut fiat licet & validè commu-
tatio in majus, nullam requiri causam: & in æquale satis
levem, cūm ipsa bonitas operis causa sit sufficiens: ita
Car. Pal. tom. 3. d. 2. de voto, p. 15. n. 7. & 8, at ut fiat in
Pars I.

minus requiri causam, ita, ut nec licet, nec validè sine
causa expediat: ita Sanch. lib. 4. in Dec. c. 19. n. 4. Ratio
est, quia tunc admiscetur aliqua dispensatio, ad quam
semper requiritur causam supra diximus.

11. Dictum est num. 8. (ab habente potestatem) quia
nullus potest sibi ipsi in minus commutare suum votum
Deo præstitum. Ratio est eruenda ex dictis, nam ad
hanc intermiscetur aliqua dispensatio, quo non potest
oriri, nisi ab habente jurisdictionem: at nemo ex se ipso
habet in se jurisdictionem, quæ requirit superioritatem
in alium, &c.

12. His positis, causæ ad commutandum ad tres re-
ducuntur. Primò, si res promissa sit reddita illicita, vel
inutilis. Secundò, si ex parte votentis, seu jurantis reddi-
ta sit difficilis, seu incommoda, ut si supervenerit infir-
mitas, vel imbecillitas, &c. Tertiò, si magis bono com-
muni expedit, ut non impleatur tale votum, seu iuramen-
tum. Alia huc pertinentia dicemus, cūm de commutatio-
ne voti eadem enim est vti, & huius iuramenti ratio, ut
nimis sæpe dictum est.

§. V. De materia subrogata iuramento.

1. **Q**ui non observat id, in quod suum iuramentum
commutatum legitime fuit, estne perjurus? Res-
pondeo, non fore perjurum, quia rem subrogatam nec
juravit, nec, ut suppono, illam sub novo iuramento ac-
ceptavit: ita Less. lib. 2. c. 42. n. 57. Trull. lib. 2. in Dec. d. 33.
n. 7. Bon. tom. 2. dist. 4. de jur. q. 1. p. 17. n. 13. citans Suar. &
Sanchez.

Tenebitur ergo solum ex pacto, quoad rem illam loco
materiæ juratæ præstandam consensu. Unde si res subro-
gata gravis erit, graviter contra factum peccabit: Quod
si levis, etiam si loco, gravis rei juratæ supposita fuerit,
puto probabile esse leviter peccatum. Id quod mihi
persuadet paritas sumpta à penitentia Sacramentali,
quæ si levis sit, licet pro peccatis gravibus imposita, non
obligat ex probabili opinione, in nostro opus de Confess.
lib. c. 1. §. 2. n. 5. nisi leviter.

2. Illud adverte: ab emittente materiam subrogatam
voto, peccati contra votum: quia ex eo, quod quia accep-
tat materiam subrogatam in Voti commutationem,
censetur promittere Deo illam servare; atque adeo con-
sentit transferri vinculum Religionis, quod erat in mate-
ria voti, in materiam subrogatam, vide infra, c. 16. §. 6.
n. 2. ubi citatur Sanchez: in quod in casu iuramenti, ut
iuramentum est, non ita se habet; quia non statim ac-
promitto aliquid facere, id sub iuramento censetur pro-
mittere. Ita Less. loc. cit.

Alia spectantia ad materiam subrogatam, dicuntur
infra, cap. 16. §. 4. n. 35. & §. 7.

§. IV. Solutio aliquorum casuum huc pertinentium.

1. **E**x dictis operæ pretium erit, sequentes solutiones
præcticas deducet. Petrus vovit, & juravit paupe-
rem puellam, nullam determinando se ducturum. Fran-
ciscus vovit idem, sed sine iuramento. Antonius juravit
idem, aut taxat, sed sine voto, & nulla adhuc acceptatio
ab aliqua certa puella facta est. Qui potest hæc dispen-
sare, vel commutare? Dico tum Episcopum in utroque
foro, tum in foro interno te privilegiatum, seu Confessa-
rium delegatum posse, cum causa, ut semper supponi-
mus, dispensare, vel certè commutare juxta privilegium,
quo gaudes. Ratio est eruenda ex probabiliter dictis §. 3.
n. 2. quia hæc sive Vota, sive iuramenta, solum continent
vinculum Religionis.

2. Rursus, Petrus juravit Bertæ puellæ matrimo-
nium, quæ nondum acceptavit. Franciscus idem jura-
vit eidem, quæ jam acceptavit. Antonius vovit, & jura-
vit idem eidem acceptanti. Martinus vovit, & juravit
idem & eidem non acceptanti; quoniam dispensabit, vel
commutabit: Dico Episcopum, & te privilegiatum dis-
pensare, vel juxta tua privilegia commutare posse primo,
M